

PHYSICA SACRA

JOHANNIS JACOBI
SCHEVCHZERI,

Medicinæ Doctoris, & Math. in Lyceo Tigurino Prof.
Academiæ Imperialis Naturæ Curiosor. LEOPOLDINO-
CAROLINÆ Adjuncti, Socc. Regg. Anglicæ
ac Prussicæ Membri.

ICONIBVS ÆNEIS

illustrata

procurante & sumtus suppeditante

JOHANNE ANDREA PFEFFEL,
Augustano, SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS
Chalcographo aulico.

TOMVS III.

A TAB. CCCCXVI. ad DXCIV.

AVGVSTÆ VINDELICORVM & VLMÆ,
MDCCXXXIII.

TAB. DXII.

Job. Cap. VI. vers. 5.

Num rudit onager herba præsente?
num bos mugit apposita farragi-
ne?

Nunquid rugiet onager, cum habue-
rit herbam? aut mugiet bos, cum
ante præsepe plenum steterit?

Consideranda heic veniunt animalia,
pabulum, vox, applicatio moralis.
Onager, ὄνκιος ὄνος, vocatur in Textu
originali נֶפֶר pere, vel fere, & ho-
die adhuc fera, feree, Plur. fra, &
fra, item ferw Arabibus, *Meninzk. Lex.* 3480.
Animal *Aristoteli* quoque memoratum *Hist.*
L. VI. c. 36. domestico asino adeò simile, ut
ouum fere ouo, si *Luitprando*, Cremonensi Epi-
scopo, A. 968. ad Imperatorem Nicephorum
Phocam Oratori, fides. Color idem, forma
eadem, auriti itidem, vocales similiter cum rude-
re incipiunt, magnitudo non dispar, velocitas una,
dulces lupis æquæ. Sed sunt, qui discrimen
agnoscunt non unum, I. ratione velocitatis,
qua domesticum longè superare dicitur, τὴν
αχὺτητα διαφέρειν. *Arist.* l. c. superare equos. *Xe-*
roph. Cyr. min. L. I. bonis cruribus, pernix, pe-
dibus instar turbinis, robustis ungulis, velocissi-
mus cursu, εὐσφυρος, κραιπνός, ἀελλοπόδης, κρατερώνυ-
χος, ὀξύλατος θεῖν. *Oppian. Cyneget.* L. III. v. 182.
μοῦ νῆ Δία, per *Jouem* jurat *Ælianus* L. XIV.
c. 10. Mauritaniæ onagros velocitate æquales
esse ventis & auibus, mox verò lassari, & las-
satos adeò mitescere, ut ligari facile queant,
& abduci. Deducunt & ipsam vocem נֶפֶר
cursu. 2. Esse speciosiores forma & majores.
Martialis L. XIII. Epigr. 100.

Pulcher adest onager —

Oppianus:

αἰπὺν ὄναγρον,
Ὅς τε πέλει Φαιδρὸς δέμας, ἄρκιος, εὐρὺς ἰδέσθαι,
Ἀργυρέος χροῖν. —

Procerum asinum,
Qui est pulcher corpore, amplus, latus aspectu,
Argenteus colore.

Ταινίη δὲ μέλαινα μέσσην ῥάχιν ἀμφιβέβηκε,
Χιονέης ἐκάτερθε περιχομένη σφαίνῃσι.

Linea autem mediam dorsi spinam cingit,
Niveis utrimque distincta coronis.

Philostorgio teste L. III. c. II. cutis est maculis
albis & nigris, striisque pulchris à dorso ad
ventrem pulchrè picta. Sed aliquando color
est idem, qui communi.

In cibum venit *onagro* נֶפֶר desche, gramen,
progerminans herba, tenerum germen, cui af-
fine est Arabum *wadson*, *wedason*, *Hiller. Hie-*
rophyt. P. II. p. 4. affinius forte Turcarum *asis*,
Meninzk. Lex. 3267. Boui בִּלִּיל belil, pabulum.
Jes. XXX. 24. Tauri quoque שׁ pulli, qui terram
colunt, farraginem sapidissimam בִּלִּיל comedent,
quæ vento שׁ vanno euentilata est. (Tauri tui,
& pulli asinorum, qui operantur terram, commi-
stum migma comedent, sicut in area ventilatum est.)
Ubi per בִּלִּיל intelligunt Interpretes farraginem,
migma, pabulum ex foeno & frumento, vel
ex hordeo & auena mixtum. Apud LXX. ona-
gro dantur τὰ σῖτα, boui τὰ βρώματα.

De onagri ruditu & bouis balatu annotari
meretur, ὡς ἐν παρόδῳ, famem, quæ vacui est in-
cola ventris, animantia ratione destituta coge-
re, pellere ad id, ut ardorem edendi significant
voce sua, vel clamoribus, providente ita Crea-
tore optimo, ut hujusmodi viuentia automa-
ta, sed nutrimenti indiga, appetitum certis si-
gnis promant, & ita ad eum clament, à quo
cibos præstolantur. *Joel.* I. 20. Sed & bestiae
agri vociferabuntur. (suspexerunt, vel suspi-
cient) ad Te, quod exaruerint torrentes aqua-
rum, & quod ignis absumpserit amœnissima loca
deserti. (Sed & bestiae agri, quasi area sitiens im-
brem, suspexerunt ad te: quoniam exiccati sunt
fontes aquarum, & ignis deuoravit speciosa de-
serti.)

Pari modo, quod Opponenti suo regerit
Jobus, homo in calamitatem incidens, auxilii
solatiique indigus clamorem ad sidera tollit:
modestâ simul exprobratione corrigens *Eli-*
pham, utpote qui neque patitur quidquam,
neque compatiatur: facile esse ei, qui nulla ca-
lamitate premitur, solatia dare afflicto. Judi-
care de proximo eum quàm optimè, qui in
eodem hæret luto.

Ἐλαφρὸν, ὅσις πημάτων ἔξω πόδα
Ἔχει, διδάσκειν νεθετεῖν τε τὰς κακῶς
Πράσσοντας.

Miseros monere & increpare perleue est,
Si pes mali nulla ligetur compede. *Æschyl.*

Hhh hhh hh

Juxta

Juxta Apostoli effatum Hebr. V. 1. 2. debebat summus Pontifex esse homo, ut posset *μετρίο· παθεῖν τοῖς ἀγνοῦσι καὶ πλανωμένοις, ἐπεὶ καὶ αὐτὸς περί-*

καίται ἀσθενεῖαν. Vid. Bochart. Hieroz. P. I. L. III. c. 16. p. 867. L. II. c. 31. p. 300. c. 41. p. 407.

Job. Cap. VI. vers. 6.

Potestne insulsum edi, non conditum sale? Num sapit cuiquam salivua albuminis?

Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? Animæ enim esurienti etiam amara dulcia esse videntur.

Manifestissima est DEI Optimi Maximi *πρόνοια* ut in conseruatione omnium & singulorum totius universi corporum, animatorum, inanimatorum, ita speciatim circa media, quibus homo conseruat corpus: circa appetentiam cibi ac potus, proportionatam semper necessitati atque usui. Beneficio hoc gaudent, gradu altiori & perfectiori, bruta, utpote quæ ea duntaxat appetunt, quæ sibi sunt proficua, auersantur, quæ noxia; sed quoque, licet inferiori gradu, homines, quorum corpora constare debebant omnis generis particulis, falsis, terreis, aqueis, sulphureis, oleosis. Ex multis speciatim appetit is sal; displicet omnis penè cibus insulsum, utpote qui solidum haud præbet alimentum, obstructions creat, & secretiones impedit magis quàm promouet. De usu salis multipliciti plura dicenda forent, si chartæ angustia id permetteret. Omnibus sacrificiis aderat sal, Levit. II. 13. Marc. IX. 45. Ita & apud Ethnicos *mola salsa*. Non est conuiuium absque sale: Imo est sal pauperum sæpe unicum condimentum. Horum erat & olim *πρὸς ἄλλα δεῖπνεῖν καὶ κύμινον*, teste *Plutarcho*. Quapropter maluit *Diogenes* Athenis *ἄλλα λείχεῖν*, sal lambere, quàm sumptuoso *Crateri* interesse conuiuii. Apud *Horatium* L. I. Sat. 3. contentus viuebat *Tigellius*,

- - - modò sit mihi mensa tripes, & concha
salis puri.

Et sociat *εὐσέβειαν αὐταρκείαν* *Persius* Sat. V.

Varo regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si viuere cum *Joue* tendis.

In quotidiano usu conueniebat homini neque alcalicum sal, neque acidum, pura, utpote quæ gignerent morbos *acrimoniarum* titulo hodie cognitos: minus periculi imminet à sale communi, nisi sumto in excessu. Est enim seu

fossile illud, seu excoctum, seu marinum, compositum, seu muriaticæ indolis.

Jobi linguâ vocatur *albumen oui*, pulli nondum exclusi alimentum, *רִיר חֶלְמוֹת* *rir challamuth*, *salivua vitelli*, notabili emphasi: quem admodum enim salivua pro dijudicandis variis saporibus insipida est prorsus, cibisque intermiscetur, ut in nutrimentum abeat ipsa, ita & albumen.

De morali Epitheti hujus applicatione multa dicenda forent, sed breuitati studebo. Eius probat amico Jobus, deesse ipsi & sermonibus suis condituram, sal, sermones esse fatuos, insulos, quibus v. 25. è diametro opponit *נִמְרֶטְסוּ יִמְרֵי* *nimretsu imre*, eloquia roborata, sale condita: quapropter nauseabat ei conuersatio. *Quæ prius nolebat tangere animus meus, nunc præ angustia cibi mei sunt.* v. 7. Eius pastoris est, cum afflictis sermones miscere non tam multos, quàm conditos: & in omni conuersatione, in omni foro, in cathedra omnia sint, quæ proferimus, utilia, condita sale, DEI Gloriam, justitiæ patrociniū, proximi salutem directā, haud, ut albumen oui, insulsa, insulsa. Quam Lectionem Ministris Vbi Diuini inculcat probè magnus noster Reformator *Bullingerus* *Epist. ad Col. IV. 6.* *Hoc admodum incommodant quidam Ecclesiasticis veritatique Evangelicæ inepta & illibata quidam libertate & dicendi & scribendi. Ubi nam verò incipiant & hi sermones suos cœlesti le condire, & sibi ab illa malorum verborum pia temperare!* Et quī nauseassent pientissimi viro conciones indigestæ, insulsæ, phrasæ quæ risum mouent, & à vulgo in proueria trahuntur, aliquando & scandalosæ! His Pseudo-Pastoribus socios damus Pseudo-Medicos illos, qui solidā *γνώσει* destituti ad ægrorum ætos plus sæpe fantur, quàm intelligunt & *πολυλογία* sua aures ægrorum æquè ac adstantium lassant.



IOB. Cap. VI. v. 5.
Onager.

Buch Hiob Cap. VI. v. 5.
Wald - Esel.

TAB. DXXXVII.

Pfal. VIII. vers. 4. ad fin.

- | | |
|--|---|
| <p>Equidem suspiciam cœlos tuos, opus digitorum tuorum, Lunam & Stellas, quas tu præparasti. Ecquid est homo mortalis, ut memoriam ejus habeas? & filius hominis, ut (a) eum inuisas?</p> <p>(a) Al. ut rationem ejus habeas.</p> <p>Paululum siquidem est, quo DEO illum (b) inferiorem fecisti, tanta eum gloria & decore cinxisti.</p> <p>(b) Al. minuisti eum paulò ab angelis.</p> <p>Dominum eum operum, quæ manus Tuæ (parauerunt) constitui, cuncta ejus pedibus subdidisti. Greges & armenta uniuersa, etiam jumenta campestria. Volucres, quæ in aëre, & pisces, qui in mari (versantur,) & quicquid per maris itinera transit.</p> <p>DOMINE, DOMINUS noster, quam magnificum est nomen Tuum in uniuersa terra.</p> | <p>4. Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: lunam & stellas, quæ tu fundasti.</p> <p>5. Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?</p> <p>6. Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronasti eum.</p> <p>7. Et constituisti eum super opera manuum tuarum: Omnia subjecisti sub pedibus ejus.</p> <p>8. Oues & boues uniuersas: insuper & pecora campi.</p> <p>9. Volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.</p> <p>10. DOMINE, DOMINUS noster, quam admirabile est nomen tuum in uniuersa terra.</p> |
|--|---|

A Perit Regius Psaltes amplissimum totius mundi theatrum, ducit pientissimus ὁδηγὸς per immensa cœlorum spatia, reducit ad punctulum terræ, habitaculum nostrum, non certè in finem, ut mentem satiemus vanis speculationibus, & nudâ rerum physicarum notitia, stomachum infarciamus delicatissimis cibus, iisque misellum, quod gerimus, corpus κοιλὴν πλεῖστον saginemus, sed ut infinitarum perfectionum Conditorem cognoscamus, & plenis audemus buccis. Tò, quod erat à Dauide demonstrandum, non est thesaurorum collectio, non ex eruditione ampla rebusque præclare testis comparata gloria; multò minus excessum benè multorum, passionum deprauatum, injustarum actionum, hypocritarum simulationum ac dissimulationum enumeratio ad digitum, sed DEI præconium. DOMINE, DOMINUS noster, quàm magnificum est nomen tuum in uniuersa terra.

In compendio sistit pientissimus noster & fortissimus Philosopho-Theologus palmarios Philosophiæ Naturalis usus, cognitionem cœli,

corporumque cœlestium, nostri, & terræ, & quæ inde fluit, notitiam DEI.

Vers. 4. *Equidem suspiciam cœlos tuos, opus digitorum tuorum, Lunam & Stellas, quas Tu præparasti.* Portam en apertam Astronomiæ, quæ totam Cosmologiam absoluit, & post Theologiam reuelatam scientiarum est potissima atque pulcherrima, quam commendat obiectum, certitudo, usus: quæ animos nostros in sacram rapit admirationem, paucis momentis ducit per immensa cœlorum spatia, & corpora illa immensæ molis totalia, immensa distantia à nobis diffita, cœli illius incorruptibilis & gloriosi prægustum, terræ propius admouet, nobisque in compendio sistit: quæ non versatur circa vanas de materia prima, distinctionibus & subdistinctionibus speculationes, in Philosophia Scholastica obuias, quæ non gemmarum, sed vix fluorum titulum merentur: haud inuoluta fabulis, sed realis, motus stellarum tum fixarum tum erraticarum ad futuri temporis non horas duntaxat, sed minuta & secunda calculans, distantias & magnitudines remotissimorum corporum dimetiens, atque determinans: fundata non fide in hujus illiusue αὐτὸς ἔφα,

non conjecturis inanibus, sed demonstrationibus certissimis, Mathematicis: Quibus characteribus destituitur Astrologia judiciaria illa, quæ docet construere themata natalitia, audetque impudentissimo ausu prædicere fortunæ prosperæ & aduersæ fata, imperiorum & regnorum vel ortus, vel interitus, aëris constitutiones variantes. Fluunt ex hac scientia usus præclarissimi quique, cognitio DEI, & infinitarum ejus perfectionum: Discimus inde, DOMINUM, qui extremitates orbis condidit, non laborare, nec lassitudine fatigari, nec prudentiam ejus peruestigari posse. (Creauit terminos terræ, & non deficiet, neque laborabit, nec est inuestigatio sapientiæ ejus?) Jes. XL. 28. 29. Quanto sit horum opifex potentior: siquidem ex pulchritudinis rerumque creaturarum excellentia collatus iis Creator earum spectari potest. (Quoniam qui hæc fecit, fortior est illis. A magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.) Sap. XIII. 4. 5. Dignissima est, quæ æri, auro, imo mentibus omnium hominum inscribatur adhortatio illa, Jes. XL. 26. Attollite in sublime oculos vestros, & contemplantini, quis creauerit ista, producens in numero exercitum eorum, singula suis nominibus vocans, à multitudine virium, & robore virtutis, ut ne unum quidem deesset. (Leuate in excelsum oculos vestros, & videte, quis creauit hæc: qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat: præ multitudine fortitudinis, & roboris, virtutisque ejus, neque unum reliquum fuit.) Audi Lactantium Instit. L. II. c. 5. Tanta rerum magnitudo, tanta dispositio, tanta in seruandis ordinibus temporibusque constantia non potuit aut olim sine prouido artifice oriri, aut constare tot sæculis sine incola potente, aut perpetuum gubernari sine perito, & sciente rectore, quod ratio ipsa declarat. Ciceronem Tuscul. I. Hæc nos primum ad Deorum cultum, tum ad modestiam magnitudinemque animi erudiuit. Sed non sufficit ad præclaros hos usus captandos superficialia quæuis corporum coelestium contemplatio, ut non sufficit ad demonstrandam DEI conditoris existentiam scire, præditos nos esse capite, pectore, oculis, pedibus, manibus, ventriculo; rimandi sunt intimi corporis artificiosissimi recessus, perscrutanda structura oculi, auris externæ & internæ, cordis, pulmonum, muscutorum & neruorum singulorum, ad minimas fibrillas usque. Ita heic, qui ex contemplatione corporum coelestium persuaderi vult de existentia & excellentia summi opificis, adire debet Planetas, horumque satellites, Fixas unam post aliam, omnium horum motus ordinatissimos, magnitudinem, situm, distantiam, figuram considerare quam attentissimè. Præclarissimi porrò sunt, nec unquam satis deprædicandi, qui in societatem humanam redundant, usus ex Astronomia. Dispergit ea longissimum temporis absoluti & Mathematici filum in minuta, horas, dies, septima-

nas, menses, annos: ostendit temporum amutationes, harumque ad usum terricolarum sapientissimas causas: regit itinera, quæ terrarumque fiunt: Regionum & urbium veros determinat situs. Taceo plura alia. Est pictura, quam Psaltes contemplandam sistit ex iis, quæ nocturnam rerum faciem repræsentant, e *Nachtstück*. Meminit ille *cælorum*, *Lunæ Stellarum*, harumque nomine comprehendit Fixas, & Erraticas, de quarum natura & ualibet commodior dicendi occurreret occasio: Solem, centrum illud Planetici vorticis majestatem, haud memorat: & hinc fortean inferre licet, elaborasse hunc Psalmum noctu. Cuius autem hoc astriferum haud proponit Dignitatem, ut opus naturæ, multò minus fortuiti casus productum, sed tanquam opus DEI, operum digitorum suorum: Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem, & quicquid in eo est, tu fundasti. (Et plenitudinem ejus tu fundasti.) Ps. LXXXIX. 12. Ita & heic, *Luna & Stellæ*, quas tu præparasti. Ubi notandum, verbi כוננת radi-
cem כן notare non simpliciter productionem omnem, sed elaborationem exquisitam, perfectam omnibus numeris, cui nihil desit, quæ mutationi nulli aut corruptioni est obnoxia, id quod apprimè quadrat cæli & corporum coelestium perennitati. Nemo, quod spero, adeo crassi erit & veruecei ingenii, uti existimet, elaborasse DEUM hæc omnia propriè ita dictis digitis. Digi DEI sunt manus DEI. Ps. CIX. 27. Intelligent hanc tuam esse potentiam (manum) quodque Tu, DOMINUS, hæc facias. Est manus DEI ejus infinita potentia, quæ & Magis Ægyptiis illuxerat ex productione pediculorum. Hic digitus DEI est. Exod. VIII. 19.

Dauid si saltum fecisset ex cælo in terram, punctum hoc, quod inter tot gentes ferro & igne diuiditur, Sen. Nat. Quæst. L. I. fecisset maximum, à Luna ad terram 50000. Milliarium, à Fixis ad habitaculum nostrum 500 000 000 000. semidiam. terræ. Sed majorem facit, ab immensis illis corporibus coelestibus ad punctum punctulum, hominem. Ecquid est homo mortalis, ut memoriam ejus habeas, & filius hominis, ut eum inuisas? Vel, quid est, quæso, maximi Imperii Monarcha? quid sunt Monarchæ plures inuicem vel foederibus, vel amicitia, vel pacificationibus juncti, vel bello disjuncti? Nonne, o terrena animalia, consideratis, quibus præsidere videamini? nam si inter mures videres unum aliquem jus sibi & potestatem præ cæteris vindicantem, quanto mouereris cachinno? Boet. de Consolat. L. II. Nonne possunt & formicæ pedis vel dimidii quadrati aream suam diuidere in Regna, Principatus, Respublicas? Quid igitur erit Imperator, quid Rex, Princeps, Comes, Senator, Nobilis? quid diues, avarus, ambitiosus, voluptatibus deditus? nonne punctulo minus quidpiam, vel, si placet, nihilo quid minus? Audi iterum, & applicatiuè ad Textum nostrum,

trum, quomodo *Boethius* describat ambitio-

*Quicumque solam mente præcipiti petit
Summumque credit gloriam,
Latè patentes ætheris cernat plagas,
Arctumque terrarum situm.
Breuem replere non valentis ambitum
Pudebit aucti nominis.*

luit igitur Psaltes antithesi hac sua fastidium
cere terrenarum rerum, dignitatum, diuitia-
n, voluptatum, quæ bona non sunt nisi ap-
entia, & erigere animos ad cœlestia. *Respi-*
cœli spatium, firmitudinem, celeritatem, &
quando desinite vilia mirari. Boet. l. c. Oc-
ionem nobis commodam dat diui Psaltis
estio, *ecquid est homo?* intuendi propius &
obilitatem nostram, & miseriam. Nobilis uti-
e sumus creatura, si consideremus animam
stram, intellectus latissimè expansas vires,
redibilem idearum nostrarum celeritatem,
entionum subtilitatem, memoriæ thesauros,
initas cupiditatum nostrarum variationes, &
riantes mutationes, voluntatis profundissima
n, artificiosissimam corporis ex solidis & flui-
compagem, miraculi plenam animæ cum
pore unionem, entium diuersissimorum,
æ nihil commune habent, & omnia tamen
munia. Nobilis inquam sumus *κτίσις*, nos
crocolimus, mundi spiritualis & corporei
nculum. Sed quoque misera, imo miserri-
a, si animo perpendamus animam nostram à
passionibus nauigioli ad instar à tot flucti-
s & conspirantibus ventis jactatam hinc, ja-
tam inde; jacturam deplorabilem imaginis
uinæ, intellectus tenebras, voluntatis mali-
m, corporis fragilitatem, miselli corpusculi
animam pretiosissimam tyrannicum domi-
um, unionem animæ cum corpore tenuissi-
o araneæ pendulam filo, quod abrumpere
let leuissima quæuis aura, quælibet aëris
utatio, cibus, affectus, & momento quidem.
t hæc nostri cognitio, ad quam nos Theolo-
is noster manu ducit, post *θεοσοφίαν* præcipua.
udiunt nos & eruditos reddunt scientiæ aliæ
nnes, sed hæc, humiles, pios. In hac *ἐπι-*
σοφίας schola edoctus passiones regit secun-
um rectæ rationis dictamen, actiones suas
aminat ad normam Sicli Sanctuarii, id agit,
od justum est, & in hoc æquè ac altero
undo reddere valet beatum; euitans sollicitè
nne malum, præcipitium omne. Ad cla-
um sedet ratio, collustrata inprimis ex verbo
EI, & secundo vento cymbam inuehit por-
i, expansis bonarum sanctarumque passio-
um velis. Sed præceps fertur ad tartara ima-
dem naus tumidis ferocium affectuum ex-
osta procellis, absorpta ab iisdem. Mediam
anc inter angelos & bruta creaturam per pas-
iones duci necesse est: est quippe Stoicorum
la *ἀπάθεια* mera chimæra. Boni affectus si ob-

tineant prædominium, hominem angelis bo-
nis approximant, si mali, brutis, imo manci-
pium reddunt malignorum dæmonum, atque
sic ad subsellia infinites inferiora & infeliciora,
quàm brutorum est, præcipitant. Regere de-
bet ratio affectus tanquam liberos, non man-
cipiis dominari. Spontanea sit ciuium libero-
rum juxta legum normam obedientia, non ser-
uilis subiectio. Sed haud subsistit quæstio Da-
uidica: *Ecquid est homo?* in speculatione nuda,
praxin insinuat ejus, quod justum est, volun-
tati diuinæ, à qua totus dependet in esse, vel-
le & agere, consentaneum. Pretiosissimum
proin, quod quidem in hoc terræ ergastulo
possidet, cimelium erit tranquillitas animi in
DEO, *αὐτάρετος μετ' εὐσεβείας*, portus, ad quem
tendimus, unio cum DEO. Qui in DEO tran-
quillus viuit, securus est ab omnibus passio-
num tentationumque insultibus. Huc colli-
mabat, de quo Gentiles adeò disputabant an-
xiè, summi boni desiderium, collimant Chri-
sticolæ omnes. Gaudium, quod inde nasci-
tur, haud est, ut sunt rerum hujus mundi, mo-
mentaneum, chimæricum, sed constans, per
infinita secula duraturum. Virtus, quæ nos
mancia mundi & Satanæ vindicat in liberta-
tem. Nanciscitur *αὐτάρετος* in & cum DEO do-
minium in se ipsum, in imaginationem suam,
voluntatem, affectus. Bonis, quæ summus
Dator largitur, fruitur gaudens. In extrema
paupertate diues, in acutissimis doloribus hilaris.
Animum componit ad omnia, quæ ei contin-
gunt, mediis tranquillus in undis, contentus
iis, quæ decernit voluntas prouidentissima DEI.
In hac ipsa virtute consistit animæ sanitas. Stat
Marpesiae instar cautis medios inter dolores,
paupertatem, diuitias, mortem ipsam immo-
tus, neque est, quod ipsum ex centro hocce
tranquillitatis dimouere queat. Medios inter
mundi æstuantis fluctus, medias inter scyllas
& charybdes nauigans securus appellit ad æter-
nitatis portum. DEO appropinquat magis &
magis, quo plus promouet vel cymbam vel pe-
dem, trajiciens tandem per mortis fretum in
mare illud diuinarum perfectionum, cum pri-
mis bonitatis pacificum, bonis æternis fruitu-
rus.

Ulteriore meretur considerationem ma-
teria, quæ nos proximè tangit, graphica ho-
minis delineatio. *Ecquid est homo mortalis, ut
memoriam ejus habeas, & filius hominis, ut eum
inuisas?* En nullitatis nostræ imaginem! Pau-
lulum siquidem est, quo DEO (*אלוהים* Diis) in-
feriorem illum fecisti, tanta eum gloria & decore
cinxisti. En dignitatem! En igitur *ἐν θεῷ πλάσσιον* ho-
minem! formatum à DEO. Gen. II. 7. *Tuæ manus
elaborauerunt me, ac me fecerunt, quantus quantus
sum, & tamen deuorasti me. Cogita, quæso, quod me
velut argillam finxeris, meque redacturus sis in
puluerem. Annon veluti lac fudisti me, & ve-
lut caseum me coagulasti? Certe & carne vestiui
me, ossibus etiam & neruis me contexisti. Vita*
K k k k k k k k k k k

Et beneficentia me persecutus es, tuaque providentia servavit meum spiritum. (Manus tuæ fecerunt me, Et plasmauerunt me totum in circuitu: Et sic repente præcipitas me? Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, Et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulisti me, Et sicut caseum me coagulasti? Pelle Et carnibus vestisti me: ossibus Et nervis compegisti me. Vitam Et misericordiam tribuisti mihi, Et visitatio tua custodiuit spiritum meum.) Job. X. 8-12. Sed quomodo hæc omnia? Estne forsan nobilis adeò *κρίσις*, DEI imago, facta ex auro, vel margaritis, vel gemmis? Neutiquam. Nomen ei gentilitium est *אדם* Adam, de terra, quia *fictus ex luto terræ*, Gen. II. 7. quam primam nobilitatis nostræ originem fatetur & Jobus I. c. Constat itaque homo ex materia informi, & formando corpori adeò artificiosissimo inepta prorsus; Negationem id vocant Philosophi. Heic igitur ex parte DEI opus fuit potentia atque sapientia infinita. Nos autem habemus, quod inde discamus. Si *χοῖροι* sumus I. Cor. XV. 47. sumendi nobis non sunt fastus superbi, non erit, cur alios ejusdem nobiscum nobilitatis superciliosa despiciamus fronte. Introspiciendum continuò est fragilitatis nostræ & mortalitatis speculum: dirigendæ omnes corporis nostri actiones ad gloriam Ter Optimi, Ter Maximi; Continua lectio sit: Nosce te ipsum, potius quàm alia extra nos omnia; Est materiale hoc & fragile domicilium, ossæa & carnea domus, unita intimè cum ente cogitante, spirituali. Heic iterum aperitur novum, quod nos in summam conjicit admirationem, theatrum. Quis, amabo, est, qui unionem hanc omnium naturâ superiorem dedit effectui? Adamus fortè ipse, qui corpori suo comitem adjunxerat adeò nobilem? num fortuito quodam concursu corpus ex terra fungi ad instar pronatum attraxit sibi ens cogitando actuosum? Qui fit, quod omnes impressiones ac motus corporis adeò certò, adeò actutum, momento citius, transeant ad mentem? quod anima nuntios hosce, qui haud rarò tristes sunt, aditu haud arceat? quod impressiones factæ excitent in mente præcisè has illasue cogitationes, & tales, quæ motibus illis corporeis respondent examissim? quod certas ideas mentis sequantur certi motus corporis? quod neque anima, neque corpus, vinculum hoc per vitam durable queant solvere? Quàm fortè effemus felices, si ope pulveris cujusdam errhini pro tempore animæ liceret migrare ex corpore, expatiari ad immensæ molis corpora cœlestia, Lunam, Planetas, Fixas, & inde redire ad corpusculum, quod ecstatici reliquimus? Pactum hoc indissolubile an corpus iniuit cum anima, vel hæc cum corpore? num memoriâ hæret tempus, quo foedus hoc fuit pactum? Cur non anima, ex partibus contrahentibus haud dubiè præcipua, reseruavit sibi potiora dominii jura? cur seipsam subjecit ita, ut etiam inuita pendeat à

corpore? Cur non saltem inter articulos primarios posuit exemptionem à dolore & cœlestibus sensationibus tristicibus? cur sola voluntati suæ subjecit brachia & crura, & cor ventriculi, viscerum nobilissimorum vitali regimen reliquit alii Domino, vel fortuito Automati motui? Intende omnes ingenii vires nihil inuenies, in quo figas pedem, nisi potentissimum liberrimumque DEI FIAT, quo DOMINUS DEUS finxerat hominem pulverem de limbo, Et inflavit in nares ejus spiritum vitalem, factusque est homo in animam viventem; Ens ratione præditum corpori unitum, vel corpori spiritui junctum, animal rationale. Gen. II. 7. Est hæc ipsa admiranda mentis cum corpore unio, quæ hominem paululum facit DEO (angelis) inferiorem, quæ ipsum extollit super animalia, imo totum mundum materiale. Et ex hac animæ rationalis parte cinctus est in principis cum gloria Et decore. Sanè si ad naturam illius, actiones & vires attendamus, mirum quid profulget & eximium, sed & seipsum producit maculæ atque infirmitates benè mixtæ: radiantes videas in hac corona gemmas genuinas, sed & fluores adulterinos: Infinita parva quædam, sed & debilitas magna: Aërum terræ mixtum. Jungit prænobilis hæc anima præteritum præsentem, sed quoque embrat sese ad futurum. Diues est idearum materialium & spiritualium promptuarium. Infinita licet infiniti tamen habet ideam. Continet id, sed non capit. Scit potius, quid infinitum non sit, quàm quid sit. Scit, & certò scit, haud esse quadratum, rotundum, numeris uncunque magnis, qui vel totum expleant orbem, exprimi nescium. Imo verò finitur ipsum, & certis limitibus clausum non capit nisi relatè ad ideam infiniti: ut sanitas, robur, diuitiæ elucescunt magis juxta morbum, infirmitatem, egestatem positæ. Ratiocinetur nos porrò in admirationem, imo stuporem, idearum nostrarum universalitas, æternitas, immutabilitas. Universales ideæ sunt veritates seu notiones multis entibus, imò ejusdem saltem generis omnibus, communes, qualis illa: impossibile est simul esse, & non esse. Totum est majus sua parte: Lineæ rectæ omnes à puncto ad punctum brevissima eunt via: Omnia circuli puncta peripherica æquidistant à centro: omnes tres anguli in quovis triangulo æquales sunt duobus rectis. Sunt hæc eadem veritates simul æternæ, fuere ante conditum mundum, erunt annihilato licet. Sunt immutabiles proprietates illæ, omnibus futuris entibus, circulis, triangulis competentes æquè ac præteritis. Si vel dubitaret de omnibus ratio, de his tamen veritatibus fundamentalibus dubitare nequit. Sed quot quantæue, bone DEUS! heic quoque sese manifestant *ἀόθεότατος*? Anima nostra ne se ipsam quidem cognoscit. Incedit illa in abyssu ignorantiae & errorum tenebricosa. Quid sit, nescit, qua ratione juncta sit cor-

corpori, quando & quomodo tam altum dominium, sed & bassum obtinuerit in corpus omnium. Propriarum cogitationum & voluntatis ignara. Quàm sæpe putat credere aliud, vel velle, quod reuera nec credit, nec vult! Quoties sibi ipsa imponit, errans non solum in intellectu, sed & in voluntate. Quis enim non miretur, quod DEUS enti adeò debili, dubitanti, erranti, corrupto ideam imprefert infinitatis? quam certè nos ipsi nec formamus, nec cudimus, finiti. Infinitè perfectum is sit oportet, quod ideas hasce nobis fuit argutum, nostrasque certo sensu infinitas animas creauit instructas viribus & intellectus, & voluntatis. Sunt immutabiles hæ, uniuersales, & æternæ ideæ basis, qua fundatur omne *intocinium* nostrum. Et cur id non? Ex manu DEI æterni, veracissimi, veniunt. Est hoc solum, quod consulendum nobis est, Oraculum. Contradicere ei haud licet. Imo verò omnibus licet animi viribus intensis dubitare non possumus, bis tria esse sex. Pone, te dubitare, vel dubitare velle, inuenies quid in te, quod protinus coget in rationis gyrum, omni liberans scrupulo. Quod si res, de quibus erendum est iudicium, haud superent captum nostrum, ducent nos comites hi fidi in sani rationis viam, modo sequamur *ὁδὸν* illos: qui si serio nobis suspensionem iudicii suadent, si obiecta sint intellectui nostro transcendentalia: nec euitamus errorum syrtes. Sunt hi ipsi Coniuncti, æternæ hæ veritates, nobis reliquæ, id solum, quod communiter *rationis* nomine venit. Hæc igitur est Præceptor noster, hæc qui nos docet, & tacere, dubitare, credere, iudicare, affirmare, negare. Hæc est commune omnibus hominibus Oraculum. De Mathematicis aliisque inde fluentibus veritatibus haud iudicat aliter Scythæ & Indus, quàm nos Christicolæ, haud aliter Braman quàm Professor Theologiæ. Unde veluti confectarii loco fuit, unicam esse, perfectissimam, infinitè sapientem quandam rationem, quæ lumen hocce accendit in omnium hominum animis, & fulgore suo collustrat. Et est hoc ipsum arcanissimum, necessarium, totius societatis humanæ vinculum. Cogit hæc ratio insensibilis nos etiam hostes de iisdem rebus sentire idem, eundem formare iudicium, ni contranitente conscientia passionibus corruptissimis rapti contra torrentem nauigare velint. Hinc est, quod & iniquissimi quique non audeant vitiis nomina dare virtutum, vel has fœdo contaminare virtutum titulo. Adeò majesticus hic est fulgor Reginæ hujus, ut vitia ejus conspectui sistere sese non audeant nisi virtutum larua vestita. Inde à jactis mundi fundamentis nemo vel sibi ipsi, vel aliis persuadere valuit, præstare fraudulentiam sinceritate, inuidiam & odium charitate, iniustitias, prædationes, cædes, iustitia & beneficentia. Nempe uti in mundo materiali nostro unicus est Sol omnia collu-

strans, ita in spiritali unicus veritatis Sol mentibus nostris irradians: non occidens unquam, nullis obnoxius mutationibus, omnipræsens, utrumque hemisphærium eodem tempore, nocte dieque, illuminans. Hic Doctor noster & Iudex viam nobis commonstrat, qua verum à falso, virtutes à vitiis, apparens à reali queamus discernere. Ita in ipsa ratione mea, debili, ignoranti, mutabili in momenta, erronea, inuenio DEUM omniscium, infinitum, æternum, veracem, à quo ut *πᾶσα δόσις ἀγαθῇ*, ita & veritates fundamentales, ad quarum normam iudicium ferendum, ortum ducunt. Quæ hætenus considerauius generatim, speciatim applicari possunt & debent Scientiis Mathematicis, utpote quæ non tradunt, nisi quod ad conuictionem etiam Scepticorum demonstrant. Solidissimo huic fundamento superstructas videas omnes omnis quanti, continui & discreti, numerorum & magnitudinis proprietates, quæ reducuntur ad unitatem, unitas autem ipsissima, quæ nullibi in rerum natura est obuia, residet in solo DEO. Habet & subtilissimus atomus suas partes, suum superius, inferius, dextrum, sinistrum. Est quidem una & unica nostra mens, ens indiuisibile, sed non unitatis primus fons: Entis hujus indiuisibilitas innotescit demum ex ipsa Unitate DEI. De hac si non claram haberemus ideam, docerent potius tot in mente nostra fluctuantes contrariæ cogitationes ejus diuisibilitatem. Verbo, fuit idea Unitatis ex DEO, reducitque nos ad eundem Fontem. Ab hoc Uno, Creatore & Conseruatore unico, unicè *pendet* anima nostra: sibi, si penderet à se ipsa, eum datura perfectionis gradum, quem quidem desiderat: imo & seruatura constanter: non, quod in dies & momenta experitur, erraret, non unquam à semita veritatis & *φιλαγαθίας* deflecteret, sed magis ac magis, si vel nondum perfectionis omnem gradum attigisset, perfectiorem redderet. Pereximium est DEI donarium *voluntas* nostræ animæ, sed bonum velle, velle quod iustum, laudabile, virtuosum, verum, eminentior est gradus. Minor si pendet à DEO, cur non & major? si velle, cur non potius bonum velle? Quodsi mutationes omnes, formationes, motus corporum pendent à DEO, primo authore ac motore, cur non & voluntatis, bonæ nempe, mutationes, quibus ad altiore euehimur perfectionis gradum? Esse, quod sumus, velle, bonum velle, bonum agere, sunt perfectionis gradus, unus altero maior & altior. Primus & ultimus in hac scala si absque contestatione est à DEO, cur non potius reliqui? *ὁ ΘΕΟΣ γὰρ ἐστὶν ὁ ἐνεργῶν ἐν ἡμῖν καὶ τὸ θέλει καὶ τὸ ἐνεργεῖν, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας.* Phil. II. 13. Attamen ingens est inter mutationes corporum & voluntatis discrimen. Non sese mouent ipsa corpora, sed mouentur, & quidem à DEO juxta regulas in mundum introductas. Sed alia ratio est *τῆς* velle nostri. Velle possum, vel

nolle. Liberrimo gaudebat arbitrio ante lapsum Adamus, sed amisit postea, & posteri sui, libertatem ad bonum, seruata inclinatione ad malum: quicquid proin boni vel vult, vel facit, id unice acceptum referre debet gratiæ DEI. Consistit in hac ipsa volendi libertate, præter alia, DEI imago ex homine prolucens, *gloria & decus*, quo hominem DEUS *cinxit*. Ineptissima omnium & absurdissima de essentia animæ & libera voluntate opinio fuit illa Epicureorum, quod ea nil sit nisi clinamen Atomorum, medium quid inter lineam rectam & curuam. Quis, nisi cui pro cerebro fungus est, libertatem tribuat Atomis, omnis cognitionis incapacibus, vel deuiationi qualicunque à linea recta? Quis non irrideat potius quàm refutet.

Ad *gloriam & decus*, quo DEUS hominem *cinxit*, pertinet quoque *immortalitas animæ*, demonstrata cumprimis, & euidentissimè, in Verbo DEI reuelato, sed & rationis & naturæ lumine collustrata. Jungitur lux luci, accendit una aliam. Affulget hæc hominibus, illa Christianis. Argumenta ex Philosophia Naturali & Morali petita, quamuis non ascendant ad summum Mathematicæ demonstrationis gradum, at id saltem faciunt, ut os obturetur infidelibus. Et obseruandum heic probè, nulla adduci posse argumenta contra futuram post hanc mortem vitam, sed oppidò multa pro illa, eaque summâ probabilitatis specie nitentia. Connatum est mortalibus immortalitatis desiderium, neque potest, nisi amens, & sibi ipsi infensus, priuare se spe futuræ vitæ, licet ea probabilis saltem fuerit. Brutalis indolis, non *χολῆς* duntaxat ἀνθρώπου, τεκμήριον est, vitæ & immortalitati præferre mortem atque annihilationem. *Ἀυτὴ γενεὴ* vel in sola probabilitate vitæ futuræ, licet ea futura haud sit, contra Epicureos defendit Romanæ eloquentiæ parens. Infideli incumbit, debellare non solum certitudinem, sed quoque probabilitatem vitæ post hanc secuturæ. Si cui vel probabilis saltem videbitur hæc veritas, viuet is ita in hoc mundo, ut vitæ heic transactæ haud eum pœniteat in altera vita. Atheorum nullus frontis est adeò ænei, ut negare ausit, pios manere præmia, impios pœnas in altera vita, si talis futura sit. Quod probabile est, id falsum dici nequit. Est hæc rationis via infidelibus ipsis ouile Christianæ Religionis intraturis aperta, calcanda Missionariis. De hoc argumento aliàs plura.

Pergo ad dominium nobili huic simul atque indignæ creaturæ traditum vers. 7. 8. 9. *Dominum eum operum, quæ manus tuæ paraauerunt, constituisti, cuncta ejus pedibus subdidisti: Greges & armenta uniuersa, etiam iumenta campestris: Volucres, quæ in aëre, & pisces, qui in mari versantur, & quicquid per maris itinera transit.* Qui sui est Dominus, felicius tantò alios regere nouit. Explicationem proin hanc

meam inchoabo, ab *animæ dominio*, quod habet *in corpus*, quod fundatur unione reuerà miraculosa animæ & corporis, pendente immediate à DEO. Vix cogitat Monarcha hic, Anima, in cerebri throno sedens, vix vult, ut corpus ambulet, stet, sedeat, ac protinus, momento citius, exequitur iussa, ambulat, stat, sedet, & quidem juxta Diuinæ Mechanicæ regulas. Influunt absque mora spiritus, si quæ sunt, animales per neruos in hos illosue musculos, præpondium his daturi super antagonistas: expanduntur illicò vesiculæ musculares, mouentur, inscutâ harum contractione ossa atque membra integra, sed ignorat profusus Monarcha ille, qui iussa dat, modum. Imperatorem en, qui ad certum quendam finem ordinatissimè instruit exercitus aciem, ac ducem ignarus ipse, quot qualesue habeat copias, atque & quomodo sint armatæ, qua via ituræ! Milites, qui iussa Imperatoris capeffunt, imò & officarios, ratione destitutos, imo ne quidem ejus capaces! Rem maximi momenti, cui aptus æquè rudis agricola, atque acutissimus Philosophus! Sed quam arctis est dominium hocce absolutum simul & cœcum, limitibus circumseptum, actionum nempe voluntariarum, exemptis ab hoc dominio actionibus iis, quæ fiunt vel insciâ animâ, vel & inuitâ! Ne latum quidem unguem excedit Monarchia hæc corporis nostri terminos. Indicat necessariò, monstrat atque demonstrat altum hoc simul & bassum dominium aliud eminentius longè, imo infinitè potens, quod absolutè disponit de omnibus. Exerit sese infinita hujus *dominii* vis cumprimis in eminenti illo animæ imperio, quod exercet in *ideas* infinitas illas in cerebri ditissimo gazophylacio latentes. Reconditos heic videas innumerarum rerum, quæ intra & extra nos, atque in natura sunt, thesauros: varietates omnes & gradus qualitatum sensibilibum, luminis, colorum, sonorum, odorum, saporum, corporum totius uniuersi totalium & partialium. Cimeliarium pretiosissimis & exquisitissimè elaboratis picturis exornatum, quas possessor ad nutum quouis momento disponit, collocat, ordinat; ad quas omnes omnium pictorum peritissimorum operæ ne umbræ quidem rationem habent. Corrigere possunt & audent in arte rudes, sed pretioso hoc idearum innatarum thesauro donati, errores eorum etiam, qui arte Apellæa pingunt. Quis nunc est, qui penicilla parauit, qui manus duxit, qui colores miscuit? Amplissimum en, & omni eruditione refertissimum librum, quem & idiotæ legunt, atque intelligunt! sed quis ordinavit, disposuit, concinnè adaptauit characteres, quibus constat? Casui certè heic nullus est locus; neque nos sumus Artis hujus Typographicæ auctores, conscii probè, nos neque formasse has ideas, neque disposuisse in ordinem. Undenam mihi in eas dominium, quæ, ad exemplum illorum militum, ad nutum meum acce-

cedunt, atque discedunt? Abscondunt sese, ne scio, quorsum: redeunt iterum, sed ne scio, unde? Quales sint, quantæ, cujus figure, ubi resideant, ignoro cum ignarissimis, & non sunt quouis momento paratæ ad nutum. Volo eas,necto, separo, absque tamen quod iatur ulla confusio. Si fortè loco ejus, quam quaero, alia sese offerat idea, remitto eam, ut non adest, adest quoque, quam desidero. Quærens, reperio, nescius quomodo, vel ubi? Me ipsum quaero intra me, quoniam me ipsum tempore amitto. Recordor ejus, quod excidit memoriâ. Transit, ut ita loquar, ante oculos meos homo, αὐτὸς ἐγὼ, qualis fui in infantiâ, pueritia, adolescentia, constituta ætate & senectute. Subit memoriam voluptas, qua frui solitus sum ante 20. annos & plures, licet non sentiam talem, qualis fuit olim. Tristes animo conveniunt, qui olim mihi contingere, casus, omnibus suis circumstantiis stipati, sed non afficiunt, ut affecere olim, similes igni picto, qui non urit. Et ipsum, quod est in recordatione discrimen, notas suggerit characteristicas hominis pii vel impii: Recordatur ille scelerum commissorum summâ affectus tristitiâ, calamitatum maximo gaudio, centrum tranquillitatis in DEO collocans unicè in DEO: hic lætus meminuit voluptatum peccaminosarum, quibus ipse fuerat immersus, impatiens aduersitiam.

Non suffecerat homini *dominium in corpus & ideas*, concessa ipsi Monarchia in alias quoque creaturas. *Dominum eum operum, quæ manus Tuæ parauerunt, constituisti, cuncta ejus peccata subdidisti. Greges & armenta universa, & jumenta campestria; Volucres, quæ in aëre, & pisces, qui in mari versantur, & quicquid in mari itinera transit.* Ex Historia Creationis constat, thesauros naturæ omnes non solum fuisse Protoplastæ ostensos veluti in theatro, sed traditos. *Comedere* is poterat delicatissimos fructus *de omni ligno hortorum*, excepta *arbore scientiæ boni & mali*, quæ postea ruinas nostras maximis pressit calamitatibus, Gen. II. 16. 17. Ad pedes jacebant pretiosissimæ margaritæ, fulgentissimæ gemmæ, purissimum aurum. Aderant homagium Domino præstatura omnia bruta, & recipiebant nomina in signum subjectionis. *Quodcunque enim nomen Adam viventibus indidit, hoc nomine nominabantur. Indidit itaque Adam nomina cuiusque jumento, & volatili cæli, omnique bestię agri. Omne enim, quod vocavit Adam, animæ viventis, nomen est nomen ejus. Appellavit Adam nomina suis cuncta animantia & universa volatilia cæli, & omnes bestias terræ.)* Gen. II. 19. 20. Ut in novæ submissionis signum novis fuere nuncupati nominibus Josephus à Pharaone, Gen. XLI. 45. Daniel cum sociis à Nebucadnezare Dan. I. 7. Ut nova accipiunt nomina, qui nomina dant monasteriis utriusque sexus, & ipse supremus Religionis Romano-Catholi-

cæ Monarcha titulum adsumit Serui Seruorum. Sed quoque νεόνομα diploma domini feudatario concessi extat Gen. I. 28. *Fructum edite, & augescite, & implete terram, & subjicite eam, & dominamini in piscem maris, & in volucrum cæli, & in omnem bestiam, quæ reptat super terram.* Et iterum Gen. IX. 2. *Pavor & tremor vester erit super omne animans terræ, & super omne volatile cæli, quicquid movetur, aut reptat in terra, quicquid est in piscibus maris, traditum est in manus vestras. (Terror vester ac tremor sit super omnes volucres cæli, cum universis, quæ mouentur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.)* Testimonium quoque legitur Jac. III. 7. *πᾶσα φύσις θηρίων τε καὶ πετεινῶν, ἐρπετῶν τε καὶ ἐναλίων, δαμάζεται καὶ δεδάμασαι τῇ φύσει τῇ ἀνθρώπινῃ.* Ubi animaduertendum homini adscribi etiam dominium in pisces maris, licet nullibi legamus, accepisse hos nomina sua ab Adamo. Negari autem nequit, debilitatum fuisse multum hoc in animalia domini jus per lapsum primæui parentis. Ferocissima certè animalia quæque haud sese subtraxissent à mansueta subjectione, si homo mansisset imago DEI talis, qualis fuit creatus. Idem ille DEUS, qui Leonum obturavit fauces, ut Daniele servaret, & Paulum præservavit à venenati ictus noxa, tantam habuisset pro conservatione hominis curam, ut securus vivere potuisset inter Serpentes, Leones, Tigrides. Sed postquam rebelles facti sumus DEO, jugum etiam excussere bruta, neque duntaxat Leones, Tigrides, Serpentes, sed & Culices, Pulices, Pediculi, animalcula alia minora adhuc; & quid non damni inferunt minimi puncti animalcula illa, quibus pestis causam & incredibiles noxas adscribunt nonnulli? Attamen mansere vestigia primæ illius, quæ in innocentiae statu obtinuit, dominationis. Maximæ molis bouem ducit infans ad lanienam, inequitat Equo & Elephanti, canum ducit cateruam, quorsum vult cunque. Neque est animal ullum adeò ferox, ut sese subtrahere queat ab hominis dominio, insidiis, arte, vi, dolo. Agnouere id Gentiles quoque ex lumine naturæ, experientia edocti. *Euripides* apud *Plutarch. Lib. utraque Animalia* &c. *βραχὺ τοι ὁ θένος ἀνέρος, ἀλλὰ ποιμαλίας πράξις, δαμάει φύλα Πόντος, χθονίων τ' ἐναντὶ παιδεύματα.* *Paruum est hominis robur, sed mentis solertiâ sibi subjicit maris belluas, & terrestrium subtilem scientiam.* *Oppianus Halieut. L. V.* fere initio.

- - - ἔ γάρ τι πέλει καὶ ὑπέρτερον ἀνδρῶν,
Νόσφι θεῶν. Μάνοισι δ' ὑπεύρομεν ἀθανάτοισιν.
Ὅσους μὲν κατ' ὄρεσφι βίην ἄτρετον ἔχοντας
Θήρας ὑπερφιάλας βροτὸς ἐσβεσεν; ὅσους δὲ φύλα
Ὀικωνῶν, νεφέλῃσι καὶ ἡέρι δινεύοντα
Ἴειλε χαμαὶ ζῆλόν περ ἔχον δέμας; ἔδ' ἐσάωσεν
Ῥύσατ' ἀγνορίῃ δηθήμεναι. ἔδ' ἐσάωσεν
Ἀιστὸν ἠνεμόεις πτερυγῶν ῥόθος. ἀλλὰ καὶ Ἴνδον
Θήρα κελαινόρρινον ὑπέρβιον ἄχθος ἀνάγκη,
Κλῖναν ἐπιβρίσαντες, ὑπὸ ζεύγλῃσι δ' ἔθηκαν
Ὀυρήων ταλαεργὸν ἔχειν πόνον ἐλκυσηῆρα.

LIIIIIIII

Non



PSAL. VIII. v. 4. 5.
Ecquid est homo mortalis.

Psalm. VIII. v. 4. 5.
Was ist der Mensch.

I. A. Fridrich sculp

4. Apis rostrum in longum extensum, naturali majus, cum suis quatuor partibus, ceu unguibus, ab inuicem diductis.

5. Apis caput.

6. Crus apis magnitudine aucta cerâ onustum.

7. Alueoli basis in situ horizontali, & ouum in centro ejus locatum.

8. Alueoli eadem basis in situ verticali cum ouo in vermiculum mutato, 4. à natiuitate diebus, fluido nutritio cinctum.

9. Vermiculus idem, qualis est octiduanus.

10. Idem, qualis est duodecimo à partu die.

11. Idem in nympham mutatus, magnitudine aucta sistit apem ipsam albam adhuc & mollem.

12. Alueolus integer separatus ab aliis scelegraphice repræsentatus.

13. Fauis integri portio, repræsentans binas alueolorum series.

14. Fauis alia portio horizontaliter secta, ut alueolorum interna cauitas conspici queat, unâ cum marginibus, quibus alueoli ipsi firmantur.

15. Alueoli plures, quorum duntaxat videntur bases, parietibus ablatis. Ubi angulus A. est solidus cauus. B. solidus conuexus, in fundo alueoli priori oppositus.

16. Fuci canalis, cujus origo est in A. ubi adsunt 4. corpuscula glandulosa, finis in B.

17. Canalis ejusdem portio magnitudine aucta: ubi visuntur alæ duæ in A. faccus B. & bina ligamenta C C.

18. Saccus A. magnitudine aucta, ut conspiciantur distinctius plicæ excipientes materiam feminalem.

19. Eadem canalis portio ex alio latere visa, ubi conspiciuntur quatuor partes annulares nigri, corneæ fere soliditatis, quæ partem peripheriæ canalis cingunt.

20. Aculeus apis sub microscopio conspectus, ubi d b. est vagina, in qua ille reconditur, in articulos quasi diuisa in f g h i k l m n o, & insuper hamis p q r s t. furcatis armata, a b. aculeus ipse itidem uncis armatus, quo sese carnibus infigit, infixus hæret, & cruciat. *Hook Micrograph. p. 163.*

TAB. DXLII.

Pfal. XXII. vers. 13. 14.

Tauri multi circumdederunt me, præualidi ex Basan undique cinxerunt me.

Aperuerunt contra me os suum, sicut Leo rapiens & rugiens.

Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens & rugiens.

Fuit olim *Basanitis* & *Saronitis* Regio unâ cum valle *Achor* pecoribus præ aliis *Palæstinæ* diues, ut *Heluetia* est præ *Europa* reliqua. Jacebat hæc, *Βατανία*, *Βατανέα* *Stephano*, inter torrentes *Jabok* & *Arnon* trans *Jordanem*. Notum & *Num. XXXII. 4.* petiisse hanc Regionem *Rubenitas* & *Gaditas* pro portione sua, utpote qui pecoribus erant diuites; nam, ita illi, *alendo pecori apta est Regio*, γῆ κτηνοτρόφος. Laudatque *Moses* in Cantico suo *Deut. XXXII. 14.* *butyrum bouum*, & *lac ouium*, cum adipe arietum *pinquum*, alii legunt, *arietum Basan*; & *Dauid* in *textu* אֲבִירֵי בָשָׁן, *tauros ex Basan*. *LXX.* ταῦροι ἰόνες, *Aquila* λιπαροί, *Symmachus* σιτισοί, *Vulgate* & *Hieronymus* *tauri pingues*, sic & *Vernacula* nostra, *feiste Ochsen*, Latina *præualidi*. Celebratam quoque legas *Heluetiam* hanc Orientalem Patribus propter fecundam pecorum culturam. *Hieron. in Amos. IV. Vaccas pingues de armento se esse nouerint, siue quæ nutriantur in pascuis Basan, quæ sunt loca herbarum*

fertilissima. Theodoretus: *Δαμάλεις δὲ αὐτὰς τῆς βασανίτιδος ὀνομάζει, ὡς ἀβροδιαίτας καὶ χλιδῇ παντοδαπῇ κεχηρμένους. τοιαῦται γὰρ καὶ τῆς βασανίτιδος αἱ δαμάλεις διὰ νομῆς ἀφθονίαν σκιρτῶσαι. Eas autem (Amos IV. 1.) appellat juuencas Basanitidis, tanquam molli- ter viuentes, & omnigeno luxu diffuentes. Ejus- modi enim erant vacca Basanitidis, ob pabuli copiam exultantes. Cyrillo teste, Basanitis Regio pascua, & florida est, & idonea imprimis ad pecora, quæ in ea pascuntur, uberrimè saginanda. Χώρα ἡ βασανίτις εὐβοτὸς τε, καὶ εὐάνθη, καὶ πολὺ λίαν ἐπιτηδείως ἔχουσα πρὸς τὸ δύνασθαι καταπιάνειν ἀμφιλαφῶς τὰ ἐν αὐτῇ βοσκόμενα. Obseruant, qui linguas excolunt, Basan notare quoque pinguedinem. Arabibus est Bathsana, Bathsania, terra pinguis, fertilis, foemina item formosa; & Regio vicina Damasco; & forsan à pinguedine nomen suum arcessit Regio ipsa.*

Haud prætereundum est *Basaniticorum* bouum adiectiuum, אֲבִיר *abbir*, *robustus*, quod & occurrit *Pf. LXVIII. 31.* Celebratur quoque

PPPPPPPPPP 2

que boum robur apud Scriptores profanos.
Virgil. Georg. L. I.

Sed quadrant huc cumprimis Elogia, quæ b
bus Syris dat *Oppianus L. II. Cyneget.*

*Pingue solum primis extemplo à mensibus anni
Fortes inuertant tauri.*

* Αἰθωνες, κρατεροὶ, μεγαλήτορες, εὐρυμέτωποι,
* Ἀγροαυλοὶ, θεναιοὶ, κερεάληες, ἀγροθύμοι.

Tibullus L. II.

*Nigri, robusti, magnanimi, lata fronte,
Noctu in agris degentes, fortes validis cor
bus, feroces.*

Fortis arat valido rusticus arua boue.

*Ouid. L. IX. Met. ubi pugna Herculis cum A-
cheloo describitur:*

Non aliter vidi fortes concurrere tauros.

*Homerus in descriptione pugnae Ajacem inter
& Diomedem:*

Ταῦρος ὅπως συνόρεσσαν ἀταρβέες, ὅτ' ἐν ὄρεσσι
Θαρσαλέε μένεος πειρώμενοι, εἰς ἐν ἱκνῶνται.

*Ut intrepidi concurrant tauri, qui in monti-
bus*

*Roboris audacis periculum facturi congregium-
tur.*

Hinc veteribus Græcis ἐπίταυρος pro robur
Hesychius: ἐπίταυρον, ἰσχυρόν. Experiantur ha
boum fortitudinem Hispani in sua ταυρομαχ
nos Helueti prædicamus eam, & applicam
ad usus varios tractorios, arandi officia. Ju
bit, pro illustratione Textus, adferre tauroru
robustorum simul & prægrandium & pond
rosorum nonnulla exempla ex Basanitide H
uetica. Moris est in Nosodochiis nonnul
Heluetiæ quotannis saginare & mactare præ
grandis magnitudinis bouem, & tantæ mo
bestiam ducere ad lanienam veluti in trium
pho, coronatam floribus. A. 1676. Nosoc
mio Sancto-Gallenensi illatus bos 1850. Librarum
A. 1682. 2653. Libr. cujus altitudo fuit 7. lo
gitude 9. pedum, adductus Lanienæ Nosod
chianæ, quæ Tiguri est.

Psal. XXII. vers. 15. 16.

15. Effusus sum velut aqua, diffocian-
tur omnia ossa mea, factumque
est cor meum sicut cera, liquefa-
ctum intra viscera mea.

16. Exaruit ut testa virtus mea, lin-
gua mea adhærescit faucibus meis,
& in (a) puluerem mortis redege-
sti me.

(a) Proximè ad mortem adegisti me.

15. Sicut aqua effusus sum: & disper
sa sunt omnia ossa mea. Factum
est cor meum tanquam cera li
quescens in medio ventris mei.

16. Aruit tanquam testa virtus mea
& lingua mea adhæsit faucibu
meis: & in puluerem mortis de
duxisti me.

EXposuit paulò ante Psalter in propria
sua & MESSIÆ persona pericula, qui-
bus obnoxius fuit ab extra, à *Tauris*
Basaniticis, à *Leonibus rapientibus*, di-
scerpentibus, *rugientibus*; nunc cruciatus in-
ternos animæ sistit, & meteoricis quidem lo-
cutionibus. Haud fuit David dura & Marpe-
sia cautes, fluctibus allidentibus inuictus, CHRI-
STUS verus homo, iisdem, quibus ille, obno-
xius infirmitatibus, peccato excepto. Patieba-
tur uterque acerbissimos animæ cruciatus, Da-
uid propter sua, CHRISTUS propter fidelium
peccata. Uterque haud fuit Stoicus: Neuter
Anaxarchus, qui iussu Nicocreontis in morta-
rio contundendus exclamauit: *tunde, tunde, A-
naxarchi vasculum tundis, Anaxarchum non tun-
dis. Diog. Laërt. in Anaxarcho.* Debebat heic
& illic tolli æquilibrium spirituum & sanguinis,

illique prædominantes tristitiam inferre grauif-
simam. Contremiscit corpus extra modum
languescit obrutum cor, resistentiam fluidi su-
perare nescium, ἐγενήθη ἡ καρδία ὡσεὶ κηρὸς τηκόμενος
ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας, *factum est cor sicut cera lique-
scens de medio ventris*, LXX. quæ verba planè
non sumi possunt ad literam, sed apprimè ex-
plicari de ira urentissima & colliquefaciente
DEI, utpote quæ passim in Sacris cum igne
comparatur. Jer. IV. 4. Thren. I. 13. II. 4. Ty-
pum dedit Agnus Paschalis igne affatus. Διεσκορ-
πίσθη πάντα τὰ ὀστέα, *dispersa sunt omnia ossa*, deest
robur fulcris. Et deficientibus in toto corpo-
re secretionibus, ἐξηράνθη ὡσεὶ ὄσραν ἡ ἰσχύς, καὶ ἡ
γλώσσα κενώθηται τῷ λάρυγγι, *exaruit velut te-
sta virtus, & lingua adhæsit
faucibus.*

Pfal. XXII. vers. 21. 22.

1. Eripe à gladio animam meam, de
(a) manu canis unicam meam.

(a) h. e. à violentia, rabie.

2. Serua me ab ore leonis, & à cornibus unicornium (b) eripe me.

(b) Alii legunt, responde mihi, i. e. fer opem, asserere.

Veniunt heic *canum* nomine Daudis, CHRISTI, Ecclesiæ, fidelium hostes. Sic & v. 17. *Circumdederunt me canes*, coetus malorum cinxit me. *Circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me.* Canem se ipsum nominat humilis, proximum quemque ex contemptu. Abisai ad Daudem Regem de malefico Simei: *Cur maledicit canis iste mortuus Domino meo Regi?* Ita Hector Græcos Trojam confidentes, sperans, *se expulsurum inde canes à utrisque aduectos.*

Ἐξελάναν ἐνθεύδε κύνας κηρῶσι φορήτας.

Hom. Iliad. 6.

Elucet, ut ex singularum partium structura, & speciatim ex animantium ore, viuendi generis præcisè adaptato, sapientia diuina. Haud quadrat rictus oris angustus *Leoni*, cuius est, orti compressu prehendere prædam, & dilatare dentibus. Est os leonis terribile. Dan. I. 22. *DEUS meus angelum suum misit, & confusus est ora Leonum, ut non læserint me.* Paulus Tim. IV. 17. ἑρρύσθη ἐν σώματος λέοντος. Hebr. XI. 3. ἔφραξαν σώματα λέόντων. Virgilius de Leone Eneid. L. VII.

Impavidus frangit telum, & fremit ore cruento.

21. Erue à framea, DEUS, animam meam: & de manu canis unicam meam.

22. Salua me ex ore leonis: & à cornibus unicornium humilitatem meam.

Est os Leoni, quod jam ante innui, vastum, σώμα εὐμέγεθες, Aristot. Physiognomon. Virgil. L. X.

Gaudet bians immane —

Lucanus L. I.

— vasto & graue murmur hiatu
Infremuit —

Vastum adeò, ut

Frendens totum facile absorbeat hinnulum.

Ῥοφεῖ δὲ νεβρὸν εὐχερῶς βρύχων, Phile c. 31. cui σώμα hocce cluet κατάφρακτον, obseptum durissimis dentibus, Oppiano L. IV. Cyneg. φόνιον χάος, lethiferum chaos, seu hiatus. Fortissimi obtigere Leonibus, sic & Canibus, muscoli temporales & masseteres, fortiores tantò, quia mentum est productius, & dentes anteriores ab hypomochlio quinquies distantiores sunt, quàm musculi, ut vires Leonis Bouem 400. Librarum prehendentis & subigentis æstimari queant ad 1080. Centenarios. Schmidt. Macht der Musculn p. 16.

De Unicornu, reem, rem dicto, fusius egi ad Num. XXIII. 22. Job. XXXIX. 9.

Pfal. XXIV. vers. 1. 2.

DOMINI est terra, & (a) quicquid ea continet, orbis, & qui eum inhabitat.

(a) Ebr. & plenitudo ejus.

Ipse enim super maria fundauit eam, & super flumina præparauit eam.

1. DOMINI est terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & uniuersi, qui habitant in eo.

2. Quia ipse super maria fundauit eum: & super flumina præparauit eum.

Plenis utique buccis decantabit cum Psalte, DOMINI est terra, & quicquid ea continet, orbis, & qui eum inhabitat, quisquis apertis oculis considerat terram, habitaculum nostrum, ejus magnitu-

dinem, figuram, situm ad Solem, dispartitionem ordinatissimam in aquas, terras ficas, montes & valles, insulas, continentem, terram totam, quàm latè patet, אֶרֶץ ærets, תִּבְלָה thebel, orbem, ambitum, אֶמְלֹאֵהּ umeloah, & Qqq qqq qqq q ple-

plenitudinem ejus, τὸ πλῆρωμα αὐτῆς, thesauros amplissimos, non ad vitam duntaxat hominum, animantium, & plantarum, sed quoque ad voluptatem paratos, thesauros in visceribus terræ & profundo maris latentes, thesauros superficiei apertos: quisquis, inquam, hæc omnia, punctulum hocce terræ in fluidissimo aëre liberè suspensum, in Ellipsi quotannis volutatum, quotidie circa centrum suum gyratum, ejusdem semper respectu cœli situs, accuratè perpendit. DEUM agnoscet Creatorem, Conseruatorem, motorem terræ ut potentissimum, ita sapientissimum. *Creauit eam.* Gen. I. 1. *Nam primum terræ fundamenta jecisti.* (Initio terram fundasti.) Ps. CII. 26. *Ubi eras, ita DEUS ad Jobum, quum terræ fundamenta jacerem? Expone, si quid tenes scientiæ. Quis adhibuit ei mensuras? si modo nosti. Quis eam ad regulam extruxit? In quo fundamento fixæ sunt bases ejus? Aut quis demisit lapidem ejus angularem?* Job. XXXVIII. 4. 5. 6. DOMINUS, JEHOVAH, Ens omni- & infinitè perfectum, *super maria fundauit eam, & super flumina præparauit eam.* Hæc Textus nostri verba sensu literali sumpserunt priscæ Ecclesiæ Patres, *Clemens Recog. 8. Athanasius Orat. contra Idol. Hilarius in Ps. CXXXVI. 6. Eusebius in Ps. XXIV.* ac si reuerà orbis terræ habitabilis fundatus sit aquis; quod assertum insuper confirmarunt ex Ps. CXXXVI. 6. *Extendit terram super aquas.* Confugit, ne in eisdem cum Patribus errores incidat, magnus Reformator *Calvinus* ad vulgi captum. *Non disputat philosophicè David de terræ situ, ubi dicit, super maria fundatam, sed populariter loquens ad rudium captum se accommodat, Comm. in Psal. 147.* Verum enim vero saluari potest literalis sensus, & cum Philosophia conciliari, absque quod opus habeamus hocce aufugio. Dubium haud est, esse in visceribus terræ hydrophylacia amplissima, imo abyssum aquarum, quacum est constans cum maribus nostris ac montibus communicatio. Et vero est similius longè, in imo terræ centro plures thesauros esse aquæ, quàm ignis. Sic ambietur aqueus veluti nucleus ab orbe terræ exterioris, veluti ab albumine oui vitellum. Hoc sensu ipsam hypothesin Pa-

trum, vel tantillum correctam, nobiscum conciliare licet. Non opus, nisi translatione aquarum ab inferiori terræ hemisphærio ad cœlestium, ad quod usque terra est firmissimis nunc columnis, fornicata versus meditullium; quod de re equidem non damus nisi conjecturas duntaxat. Ad ima hæc penetralia nemini mortali descendere licet, imo non ultra ¹⁷²⁰. Milliaris Germanici, vel ad dimidium duntaxat Milliare. Notius id magis, allidi spumosos maris fluctus maximo impetu ad littora, & abscondendam fore terram continentem à fluminibus, nisi fortissimi obstarent aggeres. Limes positi sunt, ut aquis, ita terræ siccæ, non violandi unquam. Viuere debebant non per se solum soli, sed & animantia alia cum hominibus. Propterea DEUS *terram fundauit super* (Pellicanus & alii rectius, juxta) *maria, & super* (juxta, ad) *flumina præparauit eam*, non tam altis aggeribus atque rupibus, sed graduati terræ veluti per planum inclinatum inde à mari ad summam Alpes ascensu: quo plani inclinati propugnaculo defenduntur non solum terræ maribus adsitæ, sed & remotiores quæque. Stant illæ in primori acie, hæ in postrema. Hæc ita se habeant, si terra prouidente sapientissimo DEO fundata, solidata est ad maria, ad flumina, elementum adeò rapax, quale est aqua nostrum erit, accolarum maris, fluminum, incolarum totius terræ officium, venerari potentissimum hunc Architectum, timere, amare, bonitatem immensam deprædicare, voluntati summæ parere, tantò quidem magis, quod præter securitatem abundantissimo gaudeamus bonorum omnis generis prouentu, maris terræque thesauris. Habent & heic, quod discant, Principes terræ, maximæ authoritatis feudatarii. *Digne humiliandi sunt, scientes non se dominos terræ esse, sed tantum colonos, & subditos agricolas, & hominum in terra pastores sub unius veri Pastoris prouidentia & potentia, ne se, ut ethnici reges, dominos hominum jactent sed serui DEI esse studeant.* Non enim eorum est terra & plenitudo ejus, quicquid scilicet in orbe terrarum habitat & continetur, sed DOMINUS per antonomasiam & excellentiam unicus & omnipotens. Pellican. in Psal. p. 69.





PSAL. XXII. v. 21. 22.
 Pius feris ferocibus cinctus.

Psalm. XXII. v. 21. 22.
 Der Fromme mit grüßigen Thieren umgeben.

Catharina Sperlingen sculp.

it, affinia sunt $\tau\omega$ לִיִּיֶת Hebræorum, *el-lijet* *ghaluchy*, *elwa* Turcarum, Persarum *alunwe*, *Men. Lex.* p. 4217. 5769. 5816. item *jelengeg*, *jengeg*, *jelengiug*, *elengiug*, *jelengiugi*, *Id.* p. 5604. 315. quæ *Xyloaloes* sunt cognomina.

Tertium aroma $\epsilon\upsilon\omega\delta\epsilon\varsigma$, cuius Psaltes meminit, est לִיִּיֶת , quod Latina nostra reddit *Cam*, Vernacula *Kezia*, LXX. $\kappa\alpha\sigma\acute{\iota}\alpha$. Sumit id Chaldæus Interpres pro Hebræo כִּדְדָב *Kiddab* *Isod.* XXX. 24. qui locus videatur.

Memorat tandem Psaltes *palatia eburnea*, $\epsilon\beta\upsilon\rho\alpha\ \epsilon\lambda\epsilon\phi\acute{\alpha}\nu\tau\iota\nu\alpha$, *domus Elephantinas*, alii $\nu\alpha\acute{\alpha}\varsigma\ \epsilon\lambda\epsilon\phi\acute{\alpha}\nu\tau\iota\nu\alpha$ *Templa eburnea*, Scholiales, $\nu\alpha\acute{\alpha}\varsigma\ \omicron\delta\omicron\nu\tau\omicron\varsigma$ *Templa dentis*. Et 1. Reg. X. 18. legitur *Solomon fecisse solium magnum eburneum, illudque obduxisse auro optimo. (Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem; & vestiuit eum auro fulgido nimis.)* Ante Solomonis æuum in Sacris nihil legitur de ebore; sed de Ahabo legimus

1. Reg. XXII. 39. extruxisse eum *domum eburneam*. Huiusmodi quoque domuum mentio fit Amos III. 15. & *lectorum eburneorum* VI. 4. Apud *Homerum Odyss.* δ. v. 72. 73. sunt Menelai palatia exornata auro, argento, electro & ebore.

- - - - δόματα ἠχέεντα
Χρυσῷ τ', ἠλέκτρει τε καὶ ἀργύρῳ, ἠδ' ἐλέφαντος.

- - - - *domus resonantes*
Auro, electroque & argento, atque ebore.

Apud *Bacchylidem* Magnatum ædes in Insula Ceo erant pariter fulgentes auro & ebore, $\chi\rho\upsilon\sigma\omega\delta'\ \epsilon\lambda\epsilon\phi\alpha\nu\tau\acute{\iota}\ \tau\epsilon\ \mu\alpha\rho\mu\alpha\acute{\iota}\rho\epsilon\sigma\iota\nu\ \delta\iota\kappa\omicron\iota$. Ipse Pro-Rex Josephus Jacobum Patrem reposuit in lectum eburneum דֶּפִּינָדָפִין *defindaphin*, si Jonathani & Hierosolymitano, Chaldæis Interpretibus, credimus. Plura de ebore alibi.

TAB. DLI.

Pfal. L. vers. 9. 10. 11.

(a) Non est, ut accipiam de domo tua iuuentum, nec de caulis tuis hircos.

(a) Non indigeo sacrificiis.

Meæ siquidem sunt omnes feræ sylvarum, pecudes in (b) mille montibus.

(b) Al. legunt in montibus & boues.

Noui cunctas in montibus volucres, penes me sunt animantes agrestes.

9. Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos.

10. Quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum, iumenta in montibus & boues.

11. Cognoui omnia volatilia cœli: & pulchritudo agri mecum est.

Manifestum reddit Ter Optimus Ter Maximus DEUS absolutum suum in omnes creaturas dominium, imo & $\alpha\upsilon\tau\acute{\alpha}\rho\chi\epsilon\iota\alpha\nu$ suam, ut sacrificiis nostris haud indigeat; non enim nostra cupit sibi præberi, quàm nos ipsos. Non est, ut accipiam de domo tua iuuentum, nec de caulis tuis hircos. Meæ siquidem sunt omnes feræ sylvarum, pecudes in mille montibus. Meæ, aere creationis & conseruationis; meæ, quia à me dependent in esse suo & viuere, quouis momento.

Notandum, Hebræum זִיז *ziz* v. 11. significare in genere omne animal, hinc & nostræ personæ זִיז *ziz* *sadai* reddunt *animantes agrestes*, *die Thiere auf dem Feld*. Radix est זוז *zuz*, *moueri*: Hebræo *ziz* respondet Græco $\kappa\iota\nu\acute{\omega}\delta\alpha\lambda\omicron\nu$, quasi $\kappa\iota\nu\acute{\omega}\delta\alpha\lambda\omicron\nu$, animal quodcun-

que seu in terris, seu in aquis viuens. *Hesiod. Theogon.* v. 582.

$\kappa\iota\nu\acute{\omega}\delta\alpha\lambda'$ ὅς' ἡπειρος πολλὰ τρέφει, ἠδὲ θάλασσα.

$\Sigma\upsilon\nu\acute{\omicron}\nu\mu\omicron\nu$ est $\kappa\iota\nu\acute{\omega}\pi\epsilon\tau\omicron\nu$ apud *Hesychium*. Sed addita vox זִיז *sadai* indicat, intelligi debere feras, animalia agri. R. *Solomo* habet *omne agri reptile*. *Aben Ezra* auem vult, de qua mira & ridicula narrant Mythologi Rabbini. R. *Juda* in *Midras*, quod expansis alis Solem obtegit. Major certè, & infinites, *Gryllo*, quem *zizi* moderni Turcæ appellant, *Meninzk. Lex.* 1609. major *Fele*, quàm *zizi* nōs Germani, imo major aue illa *Bar-juchne* in *Bechoroth* c. 9. f. 57. è qua decidens $\kappa\alpha\kappa\eta\ \tau\acute{\upsilon}\chi\eta\ \kappa\alpha\kappa\acute{\omicron}\nu\ \acute{\omega}\nu$ 60. inundauit pagos, & 300. prostrauit Cedros: major illa alia in *Baua Bathra*, cui profunda maris abyssus ad genua duntaxat ascendit, quàm profunda-

ditatem si dimetiri cupias, cogita, securim prolapsam ad fundum pertigisse vix septem annorum spatio. Conjecta vel exin, quid somnient illi *μυθοσόφοι* de *pecudibus in mille montibus*. Inter alia nempe animalia, quæ in Messia aduentu comparebunt, sistet sese *Bebemoth* Jobi, bos ille, cui in diem vix sufficit 1000. montium pabulum. Ne autem existimes, incredule, perambulari quotidie à bestia illa mille montes, quæ eodem semper degit loco, immota ut Tarpesia cautes, adeò copiosum procrescit continuo gramen, quod vix caperent mille montes, & absumtum illicò recrescit. Exemplum habe ridiculorum conceptuum, in quos prolabi queunt, qui cum Cabbalistis literæ inhærent nudæ, & vocabula, syllabas, accentus adeò minutim diffecare norunt, ut e. g. in Legge Moyfis non inuenias duntaxat ea, quæ τὸ ceremoniale & morale attinent, sed omnia omnium artium atque scientiarum arcana, omnes Demonstrationes Mathematicas, Arithmeticae Regulas, Politicæ Præcepta, Botanicam, ex quo inexhausto rerum addiscendarum

promptuario Regum sapientissimus omne suam mutuatus fuerit eruditionem, scientia de viribus herbarum à Cedro usque ad Hyssopum. Enumerarem alios à nuda litera pendentes errores, nisi priscorum Patrum pietas parcerem, non minus fere ridiculos, quæ sunt Mahometis fabulæ; quarum unicam hæc adferam ex *Espahani Chronica*, de Gallo alcoloris, qui DEO est à seruitiis, cujus alæ fuerunt Smaragdis, Carbunculis, Margaritis, quarum una expansa est ad Ortum, altera ad Occasum. Caput esse immediatè sub Throno DEI pedes in aëre pendulos. Hæc avis singulis manè ad preces vocat, sed cantu, quem non audiunt homines & impuri dæmones, sed beati soli coelicolæ. Junge, si fabulas ames, *Serpentem*, qui 70000. habet alas, alæ singulæ 70000. plumas, plumæ singulæ 70000. facies quævis 70000. ora, quorum singula loquantur 70000. linguas, unde haud mirum, quotidie tot decantari elogia, quot sunt guttulae pluuiæ, folia arborum, lapides, & puluisciuli, dies in æternitate, angeli.

Psal. LI. vers. 9.

Expia me Hyssopo, & mundus ero:
laua me, & niue ero candidior.

Asperges me hyssopo, & mundabor
lauabis me, & super niuem dealabor.

DE *Hyssopo*, ejusue vi abstergente, lege plura ad Exod. XII. 22. & ibidem varia plantæ à primitiuo *ezobh* orta Europæarum cum primis Nationum nomina, quibus adde *zusa*, *zusa jabis*, *ciubra* Turcarum modernorum ex *Meninzk. Lex.* p. 1673. 2485. Obserua porrò ex *Paracelso* Tom. I. p. 1043. veteres docimasticos artem suam do-

cimasticam & separatoriam vocasse *Hyssopaicam* quâ nigrum sulphur dealbare nouerant. Loquendi formula forsan ab Israelitis deriuanda ad Psalmum saltem nostrum applicatiua. Observatio hæc est *Ottonis Philippi Praunii*, Campidonensis, & Principis & Urbis Medici clarissimi, in quodam Epicedio.

Psal. LII. vers. 10.

At ego similis oleæ frondosæ in domo DEI, spem posui in bonitate DEI in perpetuum.

Ego autem sicut oliua fructifera in domo DEI, speraui in misericordia DEI in æternum, & in seculum seculi.

EGo, extirpato propter scuitiam ex Tabernaculo DEI Doego, ero ut olea virens, succi plena, viuax, fertilis. Succo enim diuinæ gratiæ in animum meum intrante fructibus justitiæ repleor, jugiter mansu-

rus in DEI domo, coram facie diuina, in cœtu fidelium; Confido benignitati DEI in seculum & sempiternum: tutum atque securum me DEI facit benignitas, certumque salutis & gratiæ DEI æternæ. *Hiller. Hierophyt. P. I. p. 186.*

Pfal. LV. vers. 7. 8. 9.

Et dixi : Utinam mihi essent alæ,
ut columbæ, auolarem enim &
quiescerem.

Et longè profugerem, commora-
rer in deserto. Sæla.

Properarem ut à vento turbinoso,
& tempestate evaderem.

7. Et dixi : Quis dabit mihi pennas
sicut columbæ, & volabo, & re-
quiescam.

8. Ecce elongaui fugiens : & mansi in
solitudine.

9. Expectabam eum, qui saluum me
fecit à pusillanimitate spiritus, &
tempestate.

ENcomizatur passim columbæ volatus
in Sacris. *Qui sunt isti, qui ut nubes
volant, & tanquam columbæ ad fene-
stras suas?* Ita Jesaias LX. 8. de redu-
tus ex captiuitate Babylonica. Citius quip-
ad nidos suos volare dicuntur, quàm inde
olare, columbæ. Hof. XI. 11. *Terrebuntur
volabunt) sicut auicula ex Ægypto, & quasi
lumba de terra Assur, collocaboque eos in do-
bus suis, dicit DOMINUS.* Σύμφωνά Dauidi-
voto sunt, quæ legimus apud Sophoclem in
dipo Coloneo.

Ἐγὼ δ' ἀελλοαῖα ταχύ-
ρωτος πελειᾶς,
Ἀιθερίας νεφέλας
Κύρσσωμι —

*Utinam, ut turbinea celeri
Impetu columba,
Æthereas nubes
Permearem —*

igit & Greg. Nazianzenus pro fuga colum-
e alas, ὡς κροτέρως καὶ ταχύτερας, leuissimas at-
e celerrimas, quibus & accipitris insidias
adunt. *Columbæ soluto volatu accipitre in mul-
m velociores.* Plin. L. X. c. 36. Et Phædrus
I. Fab. 31.

*Columbæ sepe cum fugissent miluium,
Et celeritate pennæ vitassent necem.*

rgil. *Æneid.* L.V.v.211.de Mnesthei naue, quæ

*Agmine remorum celeri, ventisque vocatis
Prona petit maria, & pelago decurrit aperto.*

columbæ volanti similis, quæ

*Fertur in arua volans, atque aëre lapsa quieto
Radit iter liquidum, celeres neque commouet
alas.*

uacum communiter comparant Poëtæ *Argo*
uem, ὅσον πελειᾶδος. Rabbinos Psalms nostri

Commentatores si audias, Dauidem videbis
columbæ, non aliarum auum, alas sibi optan-
tem, quoniam hæ lassatæ in rupe quapiam vel
arbore quiescunt, necdum heic ab insidiis se-
curæ, dum illa, retractâ licet una alarum, ex-
pansâ tamen altera volando continuò pergit
ad nidum usque, secuta heic quietura. Pla-
cet magis *AbenEzræ* explicatio, quod columba
homini amica γεωμυατοφύεξ vicem præstet. Le-
gi de comoda hac literas mittendi occasione
merentur *Paulus Æmilius de Gestis Francor.* L.
IV.V. *Marmolius Afric.* L. II. c. 31. *Jac. Vi-
triacus Hist. Orient.* L. I. *Arnoldus Lubecensis
Hist. Slauor.* *Vincentius in Doctrinali.* L. XVI.
c. 154. *Ælianus Var.* L. IX. c. 2. ubi *Taurosthe-
nes* victoriam suam Olympicam per columbam
notificasse legitur, quæ unico die Pisâ Æginam
ad pullos suos reuolasse dicitur. *Hirtius An-
tonii* Epistolas misisse ad *Decium Brutum* intra
moenia Mutinæ obsessum, teste *Frontino* L. III.
Stratagem. Columbam en *Anacreontis* tabella-
rium! *Od.* 9.

Ἐγὼ δ' Ἀνακρέοντι
Διακονῶ τοσαῦτα,
Καὶ νῦν ὁῖος ἐκείνῃ
Ἐπιστολὰς κομίζω.

*Egoque Anacreonti
In talibus ministro,
Ejusque nunc videte
Quales fero tabellas.*

Officia à columba Lugduno Batauorum obses-
so præstita sequentibus laudat carminibus *Hein-
sius* L. III. *Eleg.* 10.

*Hic volucrem sacram trepida dimittit ab ur-
be,*

Quæ referat ductus illius : illa volat.

*Moxque domum gaudens dulcesque reuifere ni-
dos,*

Per medium rursus aëra lapsa fuit.

*Scriptaque Boifoti mandataque gestat in alis,
Jamque ministerii dulce peregit opus.*

X x x x x x x x

In

In Arabia familiaris est hæc literas per columbas mittendi occasio. Vocant illi hujusmodi Epistolam *bittaka*, *πιττάκιον*, *Pittacium*, & *Zagiala*, *γραμματοφόρον* ipsam *Zigial*.

Nihil secum fert difficultatis applicatio ad Davidis statum. Nemini non constat, non esse columbam ex genere avium rapacium, sed

domesticam, adeò meticulosam, ut à Nisitata fugâ sibi consulat, vitam saluaturam. David tot inter persecutores, suos DEI quæstus, sibi columbæ alas optat, quibus in euadere queat, vitam seligens quasi Ere cam in Deserto, *properans, ut à vento turbo & tempestate euadat*.

TAB. DLII.

Psal. LVIII. vers. 5. 6.

5. Virus est illis ut virus Serpentis, ut
(a) Aspidis surdæ, auremque suam obturantis.

(a) Quidam Regulum legunt.

6. Ne cogatur audire vocem incantantium, incantatoris, inquam, artibus magicis præstantis.

5. Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas.

6. Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.

Vexatissimus, si quis est Sacri Codicis, locus hic est, solutu tantò difficilius, quod iis viuamus temporibus, quibus adeò pauca habetur incantationibus & magis fides, ut vix eas credat Judæus Apella.

Deriuabimus materiam hanc ex genuinis Antiquitatis simul atque Philosophiæ modernæ fontibus, visuri tandem, quisnam possit esse verborum Diui Psaltis sensus.

Prima, quæ obuiam venit, difficultas concernit *Aspidem surdam* & tamen *audientem*, auritam & tamen *surdam*. Docent nos Physicorum vetustissimi, acutiori pollere Aspidem auditu, quàm visu. *Nicander in Theriacis* v. 162. docet, euigilare viperam dormientem ex leuissimo quouis sono:

- - - ὑπναλέοις δὲ
'Αἰὲν ἐπιλλίττω φαίνεται ἐνδυῆς ὄσσοις.
'Αλλ' ὅταν ἡ δὲ πον νεὸν ἔασιν, ἡέτιν' αὐδὴν
'Αθρήσῃ, νωθρὸν μὲν ἀπὸ ρεθέως βάλεν ὕπνον.

- - - somnoque grauatis
Torpida continuè nictare videtur ocellis.
Ast ubi vel murmur facili vel percipit aure
Vocem aliquam, segnes rejicit de corpore somnos.

Consentit *Plinius* L. VIII. c. 23. *Jam pridem hebetes oculos huic malo dedit (rerum natura) eosque non in fronte ex aduerso cernere, sed in temporibus: itaque excitatur, sed sæpius auditu, quàm visu. Et Mercurialis: Omnibus Aspidibus hæc communia sunt, visus imbecillus, incessus tardus, auditus subtilis.* Concedunt & moderni Scri-

ptores *Seuerin. de Viper.* p. 130. 239. *Char. Anat. Viper.* p. 134. animali huic, cujus turam incredibili peruestigarunt solertia, autum, cujus tamen non monstrant organum neque externum, neque internum. Audire necesse est, si verum, quod de Indis narrat *Teixeira Hist. Pers.* L. I. c. 29. eos ita assuecere incantationibus serpentes, ut ad Tibiæ modulamina saltent, *baziendo las baylar al son una flauta, y las rebuelven al cuello, y hazen callas otros semejantes ademanes.* Meretur viperæ auditus in parallelismo locari cum autu piscium, qui vel audiunt per nares, quononnulli volunt, vel subtili tactu, cute à tremulo aëris motu vibrata. *Theodoretus, Augustinus*, & forsan alii primitiæ Ecclesiæ Patres fuere persuasi, esse viperam surdam, sed non naturâ, verum studio, quoniam obturet auram unam caudâ, alteram apprimendo terræ, vut *R. Selomo* philosophatur, obstruendo auram terrâ, ne scilicet audiat vocem incantantis. Quî autem id fieri poterit, si caret auribus? Nares igitur obturet necesse est, si eorum mysterio audit, vel cutim ita modificare nouit, ut tremulas aëris sonori vibrationes haud percipiat, si audit more piscium, ut sanè squamifera rigidaque cutis structura affinitatem monstrat piscium atque serpentum.

De conjuratione serpentum sunt heic nonnulla adferenda simul & monenda, quibus persedere commodè haud possumus, tantò quidem magis, quia adhuc hodie serpentum collectio incantationem habet, vel habere videtur, comitem. Serpentes facilius quàm alia animalia conjurari posse, vult *Augustinus*, argumeto certo seductionis per serpentem facta.



PSAL. L. v. 9. 10. 11.
 Animantia cuncta DEI opus.

Psalm. L. v. 9. 10. 11.
 Alle Thiere als Gottes - Geschöpfe.

I. G. Pintz sculp.